

ificatu reperiatur vox *hortus*, nullum tamen est dubium, quin frequentius in generali & forsan ad proprietatem vocis magis accedente significatione adhibeatur pro omni villa. Testis hujus rei luculentissimus est Sextus Pompejus Festus, qui Lib. XVII. de V. S. cap. 10. *Hortus*, inquit, apud antiquos omnis villa dicebatur. Et in ea quoque significatione eandem vocem in XII. Tab. accipi autor est Plinius lib. XIX. Hist. Natur. c. 4. qui etiam propterea ibi nunquam *villam* reperiiri asserit. Videri potest, qui prolixior hac de re est, Theodorus Marcilius in Explicatione XII. Tab. pag. 157. & 158. Ne tamen, an vox ista apud alios melioris notæ scriptores ea in significatione reperiatur, dubites, vix affirmabis, eam in dispari legi apud Horatium in elegantissima Satyra, quæ 4. est lib. 2. Ita vero ille:

*Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus,  
Hortus ubi & tecto vicinus jugis aquæ fons,  
Et paulum sylva super his foret auctius atque  
Di melius fecere benè est, nihil amplius opto.  
vel, ut alii legunt, addo.*

Magis tamen propriè vox ista accipitur pro loco culturae stirpium dedicato. Ubi cum duorum generum res excoli soleant, arbores & olera, factum inde est, ut eum locum, ubi olera reperiebantur, *hortum* dicerent veteres & *hortos*; *hortos* verò tantum eum appellabant, ubi consistæ erant plantæ, notantè hoc Valla lib. 3. cap. 9. an verò illud discrimen perpetuum sit, cum aliis non immeritò dubitamus. Sed non placet hic sollicitâ scrutatione ulterius commorari, quasi, ut cum *Zevectio* Proëm. ad *Florum* loquar, salutem Græciæ in verborum evolutione quæsituro. Sed cum omnis ex mente accuratissimi illius disputatoris *Ciceronis* lib. 1. *Offic.* quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat cum definitione proficisci, ea quæ fieri potest accuratatione *hortum* describimus. Est igitur *Hortus* locus variis plantarum, arborum, fruticum